

Atqui non minor vis gratiæ est ad bonum, quam concupiscentiæ ad malum; dum igitur adest gratia medicinalis, seu efficax, non magis erit in potestate hominis cadere, quam sine illa gratia stare. Quapropter omnes istæ vocum, distinctionumque Thomisticarum usurpationes in ore Jansenii, eique ad hærentium, inanes sunt sine sensibus soni, non quibus ipsi constituantur Catholici; sed fraudis ignaros circumveniant.

## ARTICULUS QUARTUS.

**T**antum abest, ut Semipelagiani ideo hæretici fuerint, quod dicerent gratiæ nos consentire, & dissentire posse, ut potius certum, & minimè dubium sit, cuius cumque gratiæ efficaci resisti posse, id est cum quacunque gratia simul remanere activam, atque, ut supradictum est, proximam dissentendi potestatem; licet actu, ut etiam supra dictum est, nunquam efficaci gratiæ dissentiat.

*Jansenius Articulo quarto consentiens.*

**L**ibro 8. de gratia Christi cap. 21. Irenæus quasi Calvinum impugnans ait: *Calvinus docet gratiam ita movere hominem, ut non sit ei liberum resistere, sic enim loquitur (lib. 2. Instit. cap. 3.) voluntatem Dominus movet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostra postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari. Augustino verò Dominus ita movet voluntatem, ut quavis infallibiliter convertatur, & operetur, possit tamen moti DEI refragari, aut obtemperare, seu, ut Concilium Tridentinum loquitur, illi dissentire, si velit. Potentia quippe dissentendi non repugnat actuali gratiæ motioni, & consensui, quavis fieri nequeat, ut actualis dissensus cum actuali DEI motione jungatur.* Ita Jansenius Calvino verbotenus adversans; mente, & sensu annuens; nam si, quod magis nos delectat delectatione indeliberatâ, & præveniente, secundum id operemur necesse est, ut indubitatum utique habet Jansenius, ubi gentium invenietur dissentendi potestas? Neque major juxta hunc Episcopum est potestas refragandi victrici gratiæ, quam victrici concupiscentiæ, atqui juxta eundem tam est impossibile resistere majori concupiscentiæ, sive cum illa bene agere, quam homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibi fracto ut rectè gradiatur, lib. 2. de gratia Christi cap. 1. Sed quid opus pluribus, quando in Jansenio dilucidè extat quarta propositio inter quinque hæreticas à

tot Pontificibus damnatas in sensu, quem Jansenius intendit? Verba propositionis hæreticæ sunt; *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Verba Jansenii lib. 8. de Hæresi Pelagiana cap. 6. *In hoc ergo propriè Massiliensium error situs est, quod aliquid primæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo credere posset, si vellet; neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus, vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, & potestate.*

Propositio in duas partes dividitur; historicam, & dogmaticam. Prior enuntiat, quid Semipelagiani docuerint; posterior, quid in eorum doctrina fuerit hæreticum. In utraque parte erravit Jansenius; Priorem Pontifices damnare falsitatis, posteriorem hæreseos. Jansenianis operæ pretium visum non fuit, imò non possibile, prioris partis à se invidiam amoliri, cum nihil frequentius apud illos sit, quam partis illius assertio, ut in libello supplice trium columnarum columnâ secundâ coram Innocentio X. testati sunt, & recentius Jacobus Gilbert ad S. Thomæ quæst. 109. lect. 2. & typis editâ Theſi 20. *Docemus, Semipelagianos admisisse gratiam verè interiorè, etiam ad initium Fidei necessariam.* Idem tradit Joannes Opstraete in dictatis de gratia quæst. 2. cap. 3.

In eludenda sola secunda parte hæretica toti sunt cum cæteris Jansenianis Articulorum Authores. Nunquam illi proximam dissentendi gratiæ efficaci potestatem admitterant, sed semper intellexerant solam radicalem, sive remotam, quam nec Lutherus nec Calvinus, nec alia pestes ejusmodi negant, ut rectè observavit Cardinalis Aguirre in defensione Cathedralis S. Petri, disput. 2. sect. 4. Sic apud eum Laurentius Neesen Theologus Lovaniensis Tractatu 5. dub. 4. *Christi gratia infallibiliter infert actum, utpote ab ea inseparabilis: cum illà proinde non consistit potentia proxima ad agendum, & non agendum.* Nunc ut Thomistis concinere videantur, etsi non asserant potestatem dissentendi proximam, tamen sic appellari à Thomistis permittunt, & in eorum gratiam, *Thomisticè*, quod Jansenianis idem est ac *impropriè*, & solo nomine, non re, proximam appellare parati sunt; modò semper sollicitè addatur *Thomisticè*, ad ludificandum incautos, ut manifestum fiet *Conclusionè animadversionum in quinque Articulos.*

*Constitutio theol. propugn. Tom. I.*